# De
# Juvenalis arte compositionis.

---

**Dissertatio inauguralis philologica**

quam

amplissimi philosophici ordinis

consensu et auctoritate

**ad summos in philosophia honores**

in

**universitate Fridericiana Halensi cum Vitebergensi**

**consociata**

a philosophorum ordine

rite impetrandos

scripsit

**Hugo Sydow**

**Borussus.**

**Halis Saxonum,**

MDCCCLXXXX

Formis Kaemmererianis.

Juvenalis satiras criticis et interpretibus olim et nostra aetate haud exiguas difficultates attulisse et ex adnotationibus scholiastae facile intelligitur, qui unum eundemque versum haud raro duabus vel pluribus interpretationibus explicare studet, et Rupertii,*) Heinrichii,**) Weidneri,***) aliorumque commentarios satirarum si quis perlegerit, mox sibi persuadebit. Cuius rei si causas quaerimus, ea nobis quidem maxima videtur esse, quod in una eademque satira persaepe et summae ingenii facultatis vestigia et summa componendi vitia deprehendimus. Haec ipsa autem compositio inaequalis cuiusnam culpae tribuenda sit, ipsiusne poetae an interpolatoris cuiusdam, inter viros doctos magna dissensio est. Naegelsbachius§) quidem et Doetchius,§§) qui illum sequitur, omnibus fere locis contorta ac sane mira ratione demonstrare conati sunt, singularum partium satirarum sententias inter se clare et eleganter conexas esse neque omnino componendi artem ab Juvenale abiudicandam esse. Friedlaenderus§§§) et Teuffelius†) quamquam concedunt singulis in rebus poetae haud exiguam ingenii facultatem conspici posse, tamen infitiari nequeunt ei plus minusve scholae consuetudinem inhaerere, qua ex re et

---

*) rec. et ill. Leipzig 1819—20. 2 voll.

**) ed. cum schol. et com. Bonn 1839.

***) ed. I. Leipzig 1873, ed. II c. comm. 1889.

§) Philol. III pag. 470 sqq.

§§) Vindiciae Juvenal. diss. Muenster 1870.

§§§) Röm. Sittengeschichte III pag. 411.

†) Röm. Literaturgeschichte pag. 755.

praestantiam et vitia dicendi et componendi orta esse affirmant. Verum etiam longius progressus vir ille doctissimus Ribbeckius*) quum Juvenalem munere suo omni ex parte praestantissime functum esse sibi persuaserit, nihil aliud nisi artificia perfecta omnibusque numeris absoluta procreavisse existimat. Hac ex ratione ut genuinas quas opinetur lectiones restituat, satirarum textum traditum mutando exstirpando traiiciendo multis modis ad suum arbitratum conformat, ut novam quandam speciem prae se ferat. Cuius quidem rei vir ille doctissimus nullum aliud testimonium afferre potest nisi adnotationem illam in Juvenalis vita exhibitam **): „in exilio ampliavit satiras et pleraque mutavit“. Quibus verbis quanta sit fides habenda, hoc loco non examinandum est. Verum hodie cum alii viri docti tum Teuffelius***) in Juvenalis satiris vestigia quaedam duplicis recensionis quae vocatur extare arbitrantur, quam a poeta ipso curatam esse verisimile sit. Ribbeckio exstiterunt adversarii: Lupus,§) Doetschius,§§) Meinertzius,§§§) Weiseus,†) qui quidem complures versus a Ribbeckio Juvenali abrogatos vindicare conati sunt. Teuffelii sententiam improbans Schoenaichius,††) ad quem Mosengelus†††) prorsus se applicavit, multa sagacitate rectam viam et rationem in Juvenalis arte compositionis explicanda ingressus mihi esse videtur. Imprimis vero hoc loco duo viri docti commemorandi sunt, qui de Juvenalis arte satiras componendi disseruerunt: Strubeus*§) et

*) Der echte und der unechte Juvenal. Berlin 1865.
**) O. Jahn pag. 388.
***) Charakt. u. Studien. Leipzig 1871.
§) Vindiciae Juvenal. diss. Bonn 1864.
§§) Vind. Juvenal. diss. Muenster 1870.
§§§) Vind. Juvenal. diss. Koenigsberg 1866.
†) Vind. Juvenal. diss. Halle 1884.
††) Quaestiones Juvenal. diss. Halle 1883.
†††) Vind. Juvenal. diss. Erlangen 1887.
*§) Gymnas. Progr. Brandenburg a. H. 1875.

Bergmuellerus*). Uterque de hac quaestione optime meritus est: Strubeus primus rectam viam aperuit, cum poetae exercitationes rhetoricas ad satiras componendas plurimum valuisse haud ignorans ex satiris figuras illas oratorias, quibus Juvenalis in carminibus condendis usus est, diligenter congessit. Bergmuellerus in ea quam Strubeus monstravit via longius progressus in omnibus Juvenalis satiris partitionis oratoriae formularum quae dicuntur vestigia exstare rectissime demonstravit easque duce Seyfferti libro qui inscribitur „Scholae latinae"**) in sua genera distribuit. Neque tamen hac re Bergmuellerus totam quaestionem de Juvenalis arte compositionis institutam absolvisse mihi quidem videtur. Etenim quamquam permulta, quae ad satirarum compositionem pertineant, ex disciplina poetae rhetorica profecta esse nobis concedendum est, tamen nonnullis locis poetae vires ingenii quamvis tenues clarissime emicare eiusque consuetudinem rhetoricam penitus amissam esse facile cognoscitur. In tractandis vero his versibus qua via nobis progrediendum sit, Vahlenus vir doctissimus, optime docet (in indice lectionum Universitatis Berol. aestiv. 1884). Nam summa cum subtilitate et elegantia plurimos versus, quos alii viri docti spurios iudicaverunt, in locum restituit, cum semper totius loci tenorem evolvere et disserendi componendique rationem explicare studet. Vahleni vestigiis insistens Schulzius***) luculenter de genere quodam versuum „insiticiorum" quos credunt disserit.

Quae cum ita sint, mihi proposui, ut denuo paullo accuratius in Juvenalis artem compositionis inquirerem, quae nondum satis explanata mihi videtur. Qua in quaestione instituenda ita quidem versabimur, ut acriter interpretando poetae mentem et consilium indagemus, et

*) Quaest. Juvenal. Acta. Sem. phil. Erlangen 1886.

**) Leipzig I[8] 1870 II[3] 1872.

***) Quaest. Juvenal. Hermes XXI 1886.

qualis sententiarum nexus et progressio ab ipso sit profecta, quam planissime illustremus. Haec igitur praefati, quaenam satirarum species atque dispositio sit investigare experiamur. Atque plurimas satiras poeta epistolarum forma induit, quippe qua commodius et elegantius hominum vitia retegere posset. In duabus vero satiris XIV et XV haec forma nulla alia re nisi allocutione continetur, quae quomodo cum argumento ipso totius satirae cohaereat intelligi non potest. Quod quidem poeta cum multis in aliis satiris efficere conatur tum in satira III, quam optime conformatam esse omnes uno quasi ore viri docti inter se consentiunt. Poeta enim Umbricium Roma egressurum usque ad portam Capenam prosecutus eius causas Cumas emigrandi se audientem fingit. Hac in re per totam satiram sibi constare studuisse hisce ex vocibus, quibus Umbricius poetam alloquitur, cognosci potest: „ne nobis blandiar" (v. 126), „non sumus ergo pares" (v. 104) „quid te moror" (v. 183). Verumtamen poeta hac ipsa in satira nonnullis locis instituti sermonis formam adeo non servat, ut de improviso legentes alloquatur ut v. 54 et v. 223, quibus locis oratio subita adhortatione interrumpitur, similiterque v. 281 „ergo non aliter poterit dormire", in quo versu omnes fere interpretes adhuc haeserunt. Vahlenus*) primus dilucide demonstrat illud neque a poeta neque ab interlocutore quodam dici, sed conclusionis formulam esse nulla alia causa adhibitam nisi ut contraria sententia v. 282 commodius adnecti possit. Quae si recte explicata sunt, etiam interrogationis signum delendum esse per se patet. — Eandem formam epistolicam refert satira quinta. Neque enim quisquam, dummodo v. 19 et v. 134 sqq. paulisper consideraverit, dubitare potest, quin poeta per totam satiram, quamvis in initio neminem alloquatur, ad Trebium se convertat. Nihilo minus Juvenalis identidem sive narrationis cursu adductus sive indignationis ardore inflammatus ab hac forma aberrare videtur ita, ut quem antea allocutus sit

*) l. c. pag. 15.

omnino oblitus in totum eiusmodi hominum genus invehatur. Inde fit, ut saepius uno eodemque versu vel duobus deinceps versiculis numerus singularis cum plurali confundatur:*) „deterges“ (v. 27) — „inter vos“ (v. 28); (v. 52) „vos tibi“; (v. 169) „tacetis“ — „te“ (v. 170). Quid quod poeta pro persona secunda utitur tertia: „aspice quam longo distendat pectore lancem“ (sc. Trebium) (v. 80)? Huc accedit, quod poeta id maxime egisse videtur, ut vilissimo illi clienti Trebio impudentiam obiceret eique ostenderet, quam inique rex ut alias ita in proxima cena contra eum se gesturus esset. Ergo poeta de eo tantum dicit, quod futurum est, neque de cena certa cogitandum esse videtur.**) Idcirco passim per totam satiram tempora futura nobis occurrunt: „siccabis“ (v. 47), „dabit“ (v. 53), „olebit“ (v. 87), „erit“ (v. 92), „tradentur“ (v. 116), „duceris“ (v. 125), „ponere“ (v. 126), „ponentur“ (v. 146), „iubebit“ (v. 149), „praebebis“ (v. 172). Vivida autem et concitata oratione haec futura cum praesentibus temporibus nemo quod miscentur, mirabitur.***) Quodsi Juvenalem cenam futuram describere tenemus neque obliviscimur satiram leviorem epistolarum formam exhibere, minime in eo offendere possumus, quod non ubique singula narrationis membra in rectum temporum ordinem redacta sunt. Ita in satirae initio poeta, quale vinum parasito apponatur, exponit simulque aptissime adumbrat, quid illud apud clientem valeat. Has duas res non inter se coniunctas esse Ribbeckius nobis non persuasit. Nam hoc fere modo illud „de conviva Corybanta videbis“ (v. 25) interpretari licet: Cliens vino percepto tam ebrius fiet, ut Corybantum more se gerere videatur.§) Profecto ista eclogae particula

*) Valde miramur, quod Ribbeckius, qui alibi hunc usum agnoscit Juvenalianum, hoc in loco ita offendit, ut ex illa re spurios esse hosce versus coniciat.

**) Schoenaichius (l. c.) et Mosengelus (l. c.) hoc rectissime ad Teuffelii de duplice recensione sententiam refellendam monuerunt.

***) Aeque I 155—157: „lucebis — deducis“ composita sunt.

§) Cur Ribbeckio (l. c. pag. 140) hoc loco Juvenalis „torquet“ vel „torqueat“ pro „torques“ (v. 26) scripsisse videatur, intellegere non possum.

non minus apte illis versibus adnecti poterat, quibus parasitum impudentem foris positum videmus.*) Sed necessarium illud esse Ribbeckius demonstrare nequiit. Jam vero poetae quis hoc opprobrio dare velit, quod v. 49 sic scripsit: „Si stomachus ferret vino ciboque“, quamquam praecedentibus versiculis omnino non de cibis verba fecit? Nempe eligit poeta ex materia, quae ei praesto est, quod ad assequendum consilium suum aptum videtur. Nec minus nobis in altera satirae XI parte (a v. 55), qua amicus Persicus a poeta ad cenam frugalem invitatur, nobis offensioni esse potest, quod huius partis sententiae nullo certo ordine procedunt. Perfacile hoc dispositionis vitium excusatur forma epistolica, qua Juvenalis, quamvis simpliciter enarret, tamen singulas narrationis partes tam scite inter se conectit, ut hac maxime in satira et imbecillitas et praestantia poetae elucere videantur.

Pulcherrimam vero epistolarum speciem satira IX prae se fert, in qua sola poeta colloquii formam ita adhibet, ut Naevolum, parasitum quendam, cum interlocutore colloquentem inducat. Sed cum Naevoli mores ingeniumque ad ipsius vitae veritatem quasi depicta nobis videantur, interlocutoris personam, qui utrum poeta ipse an alius quis sit plane dubium est, non ita diligenter expressam invenimus. Nam aeque atque in satira III, 59 poeta hoc loco instituti sermonis rationem ita neglegit, ut oblitus se cum Naevolo colloqui, adhortatione illa vv. 118—123 inserta de improviso ad ipsum dominum se convertat. In distinguenda autem oratione, quae in libris valde corrupta exstat, Vahlenum**) sequimur, qui nobis quidem rectissime hunc locum emendare et interpretari videtur hunc in modum, ut emendatione Lachmanni „cave sis“ recepta leni mutatione ex illo tradito „ut linguas“ commutet „tu linguas“. Itaque Vahlenus sic scribit et interpungit:

*) Ribbeckius l. c. pag. 141.

**) l. c. pag. 27.

„Vivendum recte est cum propter plurima tunc est
Idcirco ut possis linguam contemnere servi
Praecipue. Cave sis tu linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas et farre suo custodit et aere."

Haec si recte a Vahleno emendata et distincta sunt, id quod Teuffelius*) de sententia inaniter repetita queritur, plane redargui mihi quidem videtur. Etenim ut saepius ita hoc loco Juvenalis sui simillimus fuit, cum v. 121 „nam**) lingua — servi" priora complectitur, ut contraria sententia v. 121 „deterior tamen" commodius adnecti et per illum sententiarum circuitum quem vocaverim, eodem, unde disputatio orsa est, redire possit.***) Quae cum ita sint, oratio evadit in universam sententiam, qua poeta non ad Naevolum, quocum adhuc collocutus est, sed ad dominum ipsum se convertit.

Jam nostra disputatione de satirarum specie ad finem perducta pergamus earum dispositionem accuratius explicare. Atque id potissimum tenendum est poetam solere iam in initio uniuscuiusque satirae summam quaestionis indicare.†) Hac poetae consuetudine neglecta cum a multis aliis tum maxime a Ribbeckio haud pauci versus transpositi vel etiam ab Juvenale abiudicati sunt. In satira VIII quidem Ribbeckius††) versus 4—8 falce critica resecandos esse sibi persuasit, quod fieri non posse affirmat, ut unus nobilis et Aemilianos et Curios et Lepidos in avorum suorum numero referat. Quod vero Ribbeckius maiores enumeratos vituperat, id primum excusatur forma epistolica, quam raro tam perfectam et omnibus numeris

---

*) Mus. Rhen. XXI pag. 155. Bericht der Heidelberg. Phil. Versaml. Leipzig 1866.

**) Juvenalem „nam" scripsisse et correctio Pithoeanae lectionis et ceteri libri docent.

***) de hac poetae consuetudine infra copiosius nobis disputandum erit.

†) Propositionis quae vocatur formulas eas, quas Juvenalis in satiris adhibet, Bergmuellerus diligenter congessit (l. c. pag. 398—399).

††) l. c. pag. 96.

absolutam reperimus, ut omnia verba ad eum spectent, ad quem satira scripta est. Deinde aliquantum notione inter se differre mihi videntur illud „censeri" (v. 2) et illud „male vivitur" (v. 9), quae quidem verba sine dubio inter se opponi poeta voluit. Quae cum ita sint, Schoenaichius*) mihi prorsus persuasit, cum in initio satirae poetam ipsum indicare contendit, quae sibi tractanda proposuerit. Etenim vv. 1—5 primum ei nobiles notantur, qui sola maiorum laude „censeri" volunt neque ipsi quidquam memoria dignum gesserunt. A vv. 6—9 tum ei carpuntur, qui maiorum gloria efflati vitiis flagitiisque se inquinant. Inde a vv. 10—38 secundam disputationis partem („male vivitur"), a vv. 39—70 primam poeta accuratius explicat („censeri"). Tum ad rem ipsam transgrediens a v. 70 de eis rebus, quas sibi vv. 1—5 tractandas proposuit, latius disserere coepit. Quod quidem verum esse cum multa alia tum illa verba v. 74 „te censeri laude" docent, quibus quidem verbis summam quaestionis (v. 1—2 „longo-censeri") significari poetam voluisse per se patet. Altera quaestionis pars incipere mihi videtur a v. 140. Nam sententiae, quae vv. 140—146 continentur, omnino in tenorem versuum antecedentium non quadrant, quibus de provincia male administrata agitur. Propterea Vahlenus**) rectissime Ribbeckii sententiae adversatur, qui vv. 140/141 ut spurios e textu eiciendos esse arbitratur. Nam ut mihi quidem videtur. Juvenalis expositis rebus eis, quibus homo nobilis laudi futurae consulere possit, istis versibus suspectis ad alteram quaestionis partem transit, quam inde a vv. 6—35 indicaverat. —

Trahit causae similitudo ad satirae X initium. Aeque atque in satira VIII a poeta nonnulla ex huius satirae argumento deprompta exordio (vv. 1—54) inserta esse intelleget, si quis accuratius sententiarum cursum totius satirae per-

*) l. c. pag. 28.
**) l. c. pag. 10.
***) l. c. pag. 10 sqq.

spexerit. Ac primum quidem poeta paucis verbis (vv. 1—22) demonstrat, quas potissimum res sibi narrandas proposuerit: Perpauci homines vera et externa bona discernere possunt. Nam „nocitura toga, nocitura petuntur militia". Plerique nimia pecuniae cura strangulantur. Ab hac re proficiscens eodem modo quo in satira VIII poeta inde a v. 23 res propositas paulo latius exponit. Exordio autem terminato poetam vv. 54 et 55 a diverticulis ad eam unde orsus est sententiam haud inepte redire Vahlenus*) rectissime docuit. Nam votis hominum inanibus expositis quaestionem claudit sententia universa: „Ergo supervacua aut vel perniciosa petuntur", qua quidem poeta ad summam diputationis (vv. 1—12) respicit. Inde a v. 56 ad rem ipsam copiosius tractandam pergit. Sed in v. 56 explicando plerique interpretes haerent. Vahlenus quidem reiectis emendationibus Lachmanni et Madvigii Juvenalem ita scripsisse conicit:

„Ergo supervacua aut [sibi] perniciosa petunt nec
Propter quae fas est genua incerare deorum."

Sed illud „petunt nec", quod a genuina lectione „petuntur", quam et codex Pithoeanus et lemma scholii exhibent, longius discedit, mihi Vahlenus non prorsus probavit. Ergo circumspiciamus, quomodo hi versiculi, qui homines criticos vehementissime vexaverunt, cum sequentium sententiis cohaereant. Primum opes et honores appetere perniciosum esse poeta Seiani exemplo illustrat. Non minus eloquentiam perniciei esse Ciceronis et Demosthenis vitae exitu demonstratur. Eadem causa laus bellica, vita longa, pulchritudo non appetenda sunt. Tum repetit poeta summam superioris disputationis v. 346: „Nil ergo optabunt homines?" Eandem fere sententiam in v. 55 „propter quae —" inesse facile cognoscitur. Etenim v. 54 „ergo — petuntur" digressione absoluta poeta, ut melius ad rem propositam progredi possit, summam disputationis colligit. Itaque si post v. 55 interrogandi indicium facies: „propter quae fas est — deorum?", apte colligatam

*) l. c. pag. 13.

sententiam habebis hanc: Quaecunque homines a deis petunt, vana et perniciosa sunt. At hercule (sic fere poeta sibi ipse obloquitur) quid tandem a deis petendum est?*) Quod autem Vahlenus hiatum illum „supervacua aut“ tolerabilem esse negat, satis erit nonnulla similia ex satiris afferre: VI, 274 „sua atque“, 468 „agnosci atque,“ X, 281 „pompa animam“, XIV, 49 peccaturo obstet“.

Similiterque poeta satirae XIV exordium ita absolvit, ut vv. 70 – 74 summam superioris disputationis comprehendit et legentem haud inepte ad ea, quae iam in carminis initio dicta sunt, revocet. Atque id quod satirae propositum est, poeta hisce verbis indicat: „Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc tu Moribus instituas „(vv. 73/74). Atque illud quidem „artes“ hoc loco idem valere mihi persuasi, quod „vitiorum elementa: his protinus illos Imbuit“ (vv. 123/124). Numquid illo „Moribus“ poeta aliud significari vult nisi exempla parentium, quae „sponte tamen iuvenes imitantur“ — (v. 107)? Haec res in prima parte usque ad v. 106, illa vero in secunda usque ad. v. 331 tractatur. Haec si recte interpretati sumus, nobis statuendum esse videtur, exordium v. 74 terminari, neque Hertzbergius**) nobis persuasit, qui exordium v. 106 concludi vult.

In satira III bipartito id quod caput totius quaestionis est, indicatur versibus 5—9, quibus „incendia, lapsus tectorum assiduos ac mille pericula saevae Urbis“ poeta enumerat et vv. 21—24, quibus in urbe nullum locum artibus honestis esse demonstrat. Haec quidem res statim in prima satirae parte copiosius explicatur. Omnes vero illae res, de quibus iam vv. 5—9 quasi praeteriens poeta locutus est, in altera parte satirae inde a v. 190 accuratius pertractantur.

---

*) Bergmuellero (l. c. pag. 401 sqq) assentiri non possum, qui Madvigii, Lachmanni, Friedlaenderi aliorumque emendandi conatibus reiectis ipse sane mira atque contorta interpretandi ratione usus contendit illud „propter quae“ idem esse quod „adversus quae.“

**) translat. sat. Juvenal. Stuttgart 1867.

Quod quidem ita se habere cum multis ex aliis rebus tum ex similitudine cognosci potest, quae intercedit inter verba vv. 5—9 et ea, quae ad efficiendam transitionem poeta in vv. 190 sqq. adhibet: Comparanda sunt illa verba v. 197 „nulla incendia" et v. 268 „diversa pericula" cum vv. 7/8 „incendia — pericula."

Sed ut in initio uniuscuiusque fere satirae poeta breviter proponit, de quibus potissimum rebus sibi disputandum sit, ita eum in singulis satirarum particulis eosdem sulcos ducere facile cognosci potest.

In sexta quidem satira poetam eas res, quas se descripturum esse iam vv. 133—136 indicaverat, inde a v. 610 pertractare Schoenaichius*) recte demonstrat. Qui quidem quamquam vv. 133—136 a Ribbeckio Juvenali abiudicatos Juvenalianos esse rectissime affirmat, tamen non satis plane explicat, quae ratio inter illos duos locos intercedat. Nam si attentius singula verba examinaveris, perfacile intelleges illud „Hippomanes" (v. 133) idem esse, quod „Thessala vendit Philtra" (v. 610/611)**), „carmen" (v. 133) unum idemque valere, quod, „maiores-cantus" (v. 610), denique quid illo „coctumque venenum Privignoque datum" (v. 134) poeta significari voluerit, si quis v. 134 cum vv. 629 sqq. „priviginum — est res" comparaverit, facile cognoscet. Schoenaichius quidem rem acu non tetigisse mihi videtur, qui mulieres audere privignos, si modo resistant, cogere dicit, ut suis libidinibus satisfaciant. Neque vero mulieres privignos suis libidinibus satisfacere volunt, sed eas „propter nummos" venenum dare ex vv. 613 sqq. elucet. Ex eiusdem satirae versibus 161 sqq. haec eadem poetae consuetudo eminet. Res enim, quae hac in satira tractandae erunt, indicantur hisce verbis (v. 162): „Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos Porticibus disponat avos, intactior—", Schoenaichius***) etiam hoc loco omnes virtutes, quae

*) l. c. pag. 31.

**) Confer scholiastae adnotationem ad. v. 133 „Hippomanes — ad amatorias" cum adnotationibus ad v. 611 „philtra—amatorias."

***) l. c. pag. 8.

vv. 161 sqq. enumerantur, in versibus insequentibus perlustrari rectissime contendit. Sed hoc in uno ab illius sententia discedimus, quod illas res vv. 161 sqq. propositas uspue ad v. 200 tractari arbitramur. Nam de gravitate i. e. morum castitate*), quae superbia vitiari solet, poeta dicit inde a v. 177 usque ad v. 183. Tum de forma i. e. pulchritudine inde a v. 184 usque ad v. 200 verba facere pergit, quod quidem recte a nobis conici ex v. 186 „formosam nisi quae —" elucere videtur.

Sed etiam in eis satiris, quarum in exordio eiusmodi propositiones non adhibentur, tamen recta illa quam supra diximus interpretatione, quid potissimum poeta spectaverit perfacile cognosci potest. Occurrit perlustrantibus nobis satira VI, in qua, ut Ribbeckius rectissime demonstrat, omnia hoc unum spectare videntur, ut amicus ab ineundi matrimonii consilio deterreatur. Dicit enim Juvenalis „Circumspice, mi Postume, mulieres plebeias, patricias, quin etiam uxorem imperatoriam, omnes hae perfidae in maritos sunt. Sive formosae, fecundae, sive castae sunt, tamen minoribus ineptiis invisae maritis fient. Ergo quoniam puellam haud dubie non amatam in matrimonium ducturus es, ea mox tibi imperabit, perfidia, vitiis, ineptiisque te vexabit. Haec fere summa quaestionis est, qua prioris partis sententiae continentur; huc omnia narrationis membra tendunt. In altera autem parte (inde a v. 286) summa quaestionis nonnihil recedere videtur. Etenim hic in universum de divitibus uxoribus agitur. Interdum poeta, quasi ei in mentem venerit, re vera cum amico rem agi, se ad eum ipsum convertit. Huc referas non tam illud „tu callcas" (v. 312), quod quidem in universum dictum mihi videtur esse, quam illud „tibi iuncta recumbit" (v. 448). Sed Juvenalem propter hanc exiguam componendi artem esse vituperandum licet concedendum sit, tamen W e i d n e r o**) adversandum est, qui cum hac ex re tum ex satirae

*) confer scholiastae adnotationem ad hunc versum.
**) edit. praef. p. 12.

magnitudine coniciendum esse censet, satiram VI non uno quasi fetu editam esse. Sed ex eo quod nostra satira multo plures versus continet quam quaelibet alia, nequaquam colligi potest eam ex compluribus conglutinatam esse. Nam ut antiqui libri sexcentos vel etiam mille versus complecti solent, ita satira VI, quoniam ex versibus sexcentis sexaginto uno constat, satis ad librum explendum habuit.

Nunc est disputandum, quo ordine singula satirae capita collocentur et quomodo se excipiant. Atque primum quidem id moneri potest, Juvenalem singulas narrationis partes sine ullo ordine pertractare consuesse. Quod quidem in satiris V et XI excusationem habere formae epistolicae iam supra a nobis demonstratum est. Idemque in satira XVI excusatur eo, quod quasi mutilata nobis tradita est. Cuius initium integrum et intactum esse mihi cum Bergmuellero (l. c. pag. 455) persuasum est nec Jahnio Weidneroque lacunam post v. 2. statuentibus obtemperandum esse videtur. Atque, ut ego sentio, vv. 2 et 3 artissime inter se cohaerent, modo rectam adhibeas interpretationem. Nam in versu 2 particulam „nam" ac versus primi „felices" respicere Bergmuellerus recte ostendit. Praeterea illud „secundo sidere" (v. 3), quod Weidnerum maxime offendit, non ad felicitatem militiae sed ad tironem in castra introiturum spectare mihi videtur. Scholiastes recte, ut opinor, totum locum explicavit hunc in modum; „Si sint pericula nulla, quamvis timidus sum, tamen eo ad militandum," eiusque interpretatione usi orationem sic expediendam esse censemus: „Quis numerare queat praemia militiae felicis? Felicis inquam. Nam quamquam militiam felicem esse haud ignoro, tamen, quod pavidus sum, nulla pericula imminere volo." Sic totus locus nihil offensionis habet neque opus est illam lectionem traditam „me" in „ne" mutari, ut Bergmuellerus proposuit (l. c. pag. 455). His praemissis nunc ad satirae dispositionem tractandam transeamus: Videtur enim haec ecloga duas omnino partes habuisse, quarum priore etiam nunc servata

praemia omnium militum communia pertractantur, altera non exstat in codicibus.. Illam partem poeta iterum sic distinguit, ut primum praemia a militibus vi ac superbia arrogata, tum legitime eis a magistratibus proposita enumeret. Ex eis quibus milites togatis praeferuntur praemiis Juvenalis duo affert, iudicium nullis ambagibus impeditum (35—50) et filii potestatem etiam vivo patre testandi (51—60). Sed a contrario proficiscens poeta, quot quantaque pericula eis, quos „arma non tegunt,“ in causis agendis sint superanda, ostendit ac deinde tribus tantum versibus (48—50) rem ipsam perstringit.*) Hac autem in re facile quispiam offendat, nisi secum reputaverit, quam exigua arte ab Juvenale satirae elaboratae sint.

Similiterque res se habet in satira XIII. In eius dispositione enucleanda sequimur Rupertium,**) qui in carminis initio „totum eius argumentum“ omniaque solacia „in epitomen quasi“ redacta exhiberi et deinde copiosa oratione exornari rectissime iudicat. De una autem re dissentimus a Rupertio, quod cum ille exordium vv. 1—12 contineri statuat, nos v. 22 demum finiri contendimus. Hertzbergii***) sententia, qui totam satiram duas in partes dividendam esse censet quarum in altera de philosophia, altera de peritia tractari ille ex vv. 19 sqq. conicit, prorsus reicienda nobis videtur. Sed illam sententiam generalem, quae vv. 19 sqq. continetur, nisi fallor, poeta interposuisse videtur, qua, ut in extremo satirae exordio facere solet, superiora colligat. Exploremus igitur paulo accuratius huius satirae dispositionem. Sic fere poeta loquitur: Sunt multi fraudatores, multo plures mali quam boni (v. 23—38).

---

*) Assentior Beerio (Spicil. Juvenal. 1885 pag. 46), qui quod scholiastes exigui satirae XVI ambitus causam afferre omisit, qua optime eam ab Juvenale abiudicare posset, ex eo concludi posse affirmat satiram non fragmentum a poeta vel ab amicis imperfectum editam esse, sed casu aliquo folia ultima codicis archetypi intercidisse (cf. Buechelerus Rhen. Mus. 29).

**) ed. sat. Juvenal. c. comment. Leipzig 1819.

***) translat. sat. Juvenal. Stuttgart (1864—67).

Tum deflectens a proposito poeta morum simplicitatem veterum describit (38—59), et illuc rediens, unde deflexit, pravitatem morum, quae tum fuerit, adumbrat. (—74 v.) Deinde huius rei causas afferens perfacile esse ostendit, testes contemnere superos et describit, quomodo peiurus quidam se gerat (v. 75—85). Alii enim deos esse quum negent sine ulla cunctatione peierant, alii deos quidem esse putant, tamen avaritia aliisve causis commoti peierant (vv. 86—89). Duas illas series versiculorum 75—85 et 86—89 Ribbeckius*) transponendas esse arbitratur, quod illa in universum, haec proprie dicta sint. Primum quam arte vv. 86—89 cum proxime sequentibus cohaereant, ex oppositione verborum „intrepidi" (v. 89) et „metuens" (v. 90) facile cognosci potest. Tum poeta digressione absoluta (v. 86) ad eam unde orsus est (vv. 75 sqq.) sententiam redire videtur, qua affirmat facile et pronum esse deos contemnere eamque causis allatis comprobare conatur**) (86—119). Inde a v. 120 eiusmodi transitum efficit, ut novum solaciorum genus afferri exspectemus. Neque tamen hanc spem sequentibus versibus explere videtur. Nam re vera ad eas causas, quibus iam vv. 23—75 amicum summa deposita fraudatum consolari studuerat, recidit, quas nunc uberiore oratione explicat. Quae cum ita sint, quamquam concedendum est, ordinem rerum non bene a poeta distinctum esse, tamen potius traditum versiculorum ordinem servandum esse arbitramur.***)

Mirum vero ac singulare exemplum ordinis rerum valde disturbati in satira I exstare mihi videtur. Poeta enim inde a v. 84 paulo longius repetens quidquid homines inde ab antiquissimis temporibus agant, votum, timorem,

---

*) l. c. pag. 145.

**) Haec si recte interpretamur, iniuria Hermannum et Jahnium (edit.) post v. 85 incisionem fecisse cognosci potest.

***) Mosengelum (l. c. pag. 17 sqq.) ratione illa Teuffelii refutata hunc locum etiamsi foede disturbatum tamen integrum esse nobis probavisse facile concedimus.

iram, voluptatem, gaudia, discursum „farraginem" sui libelli fore ostendit. Imprimis vero sua aetate summam vitiorum copiam inveniri affirmat: ludendi cupiditatem, insolentiam aedificandi et epulandi. His rebus poeta addit, qua ratione divites tum sportulam distribuere consuerint; praetores et tribunos similiter ac libertinos neutiquam vereri divitis patroni „limen vexare." Deinde ab hac re deflectens de libertini divitiis et de pecunia generatim disserere coepit. Versu 117 a diverticulis ad intermissam orationem rediens sportulae distributionem nobis depingere pergit *) De vv. 127. 131 magna dissensio est inter viros doctos. Hirschfeldius**) quidem totam istam versiculorum seriem suo loco ineptire affirmans ex hac satira post v. 130 satirae III tamquam in suum locum interponendum esse ostendit. Qui quidem versus quamqam si abessent a nullo desiderarentur, tamen hinc causam eorum eiciendorum repeti posse negamus. Omnis igitur de vv. 127—131 quaestio redire eo mihi videtur, ut diiudicemus, utrum suo loco apte legantur necne. Atque Heinrichius (comment. ad Juv. sat.) auctore scholiasta istos versus artissime cum proxime antecedentibus cohaerere et poetam summum honorem (v. 117) significari voluisse docet. Quod non ita esse facile probari posse videtur. Sententiarum enim series a v. 127 incipiens cum eis versibus, qui proxime antecedunt (vv. 95—126), prorsus non cohaeret, quum tota narratio, quae vv. 95—126 continentur, quamvis compluribus digressionibus interrupta per se integram quaestionis partem efficiat. Huc accedit, quod si versus, de quibus agitur, in medio relinquimus, facile cognoscitur, poetam in extrema parte alterius quaestionis, quae usque ad v. 146 pertinent, eam sententiam, quam iam vv. 94 et 95 de sordido nepote aperire coeperat, hoc loco pergere latius explanare. Quod verum esse facile intelleges, si haecce verba „fercula

*) Haec si recte exposuimus, post v. 116 non fortius incidendum putamus.
**) Hermes VIII. 475.

septem secreto cenavit" (vv. 94 et 95) et „Antiquis una comedunt patrimonia mensa" (v. 138) inter se contuleris. Quae cum ita sint, vv. 127-131 eodem, quo tota quaestio tendit, referendi sunt, ad illas sordes divitis, quas poeta iam vv. 94 et 95 notaverat, eamque ob causam loco suo retinendi esse nobis videntur. Hoc vero modo Juvenalem ad orationem longe praegressam exigua arte descendere vel potius praecipitare licet concedendum sit, tamen si quis ad eius consuetudinem satiras componendi attenderit, id non magnae offensioni esse potest.

Haec enim compositionis vitia unde repetenda sint, si quaeritur, imprimis videmus Juvenalem in persequendis eis rebus, de quibus in satiris agitur, nimis angustae minutaeque diligentiae indulgere, qua quidem saepe pro concinnitate orationis longius a re proposita aberrat. Priusquam vero ad hanc rem ipsam aggrediamur, sententiae eorum virorum, qui de digressionibus, quae in Juvenalis satiris apparent, disputaverunt. recensendae mihi sunt. Hoc in numero sunt Lupus,*) qui prorsus Hermanum**) secutus est, et Weiseus.***) Atque Lupus, quamquam Ribbekkium haud raro gravissimis causis allatis redarguit, tamen omnibus in rebus non satis caute rem instituere mihi videtur. Nam, ut complures satirae V locos ab illo in suspicionem vocatos conservet, parum gravem causam affert, cum dicit: „oratio uno semper tenore progrediens quemcunque lectorem defatigaret, nisi interdum brevibus deverticulis interrumperetur." At omnes digressiones Ribbeckius omnino non vituperat, sed tales tantum, quae a sono et tenore totius loci prorsus abhorrent. Imprimis vero Lupus in his diverticulis statuendis nimis longe progredi videtur. Neque enim complures versus singularum satirarum, quos hoc in numero habet, non modo a summa rei alieni sunt, sed ad totius loci sententiam prorsus necessarii sunt. Ac nuperrime

*) Vindiciae Juven. diss. Bonn 1864.
**) Zeitschrift für Altertumswissensch. 1844.
***) Quaest. Juven. diss. Halle 1885.

Weiseus de hac Juvenalis consuetudine componendi disputavit. Qui quidem hoc docet poetam solere singulas satirarum partes nullis coniunctionibus adhibitis componere et persaepe a proposito digredi. Sed exempla et abruptae quam vocat orationis et digressionum quam plurima attulisse satis habet neque rationem et consilium illius consuetudinis accuratius explicare conatur. Quod cum ita sit, operae pretium esse videtur denuo de hac Juvenalis arte componendi paucis disserere.

Id enim maxime proprium Juvenalis esse videtur sententiam generalem singularibus rebus enarratis accuratius explicare et exemplis compluribus prolatis plenius illustrare. In eis vero rebus persequendis tantam diligentiam adhibet poeta, ut eae quasi oculis obiectae nobis videantur esse. Qua quidem re quamquam maximas satirarum amoenitates ortas esse facile concedimus, tamen saepenumero fit, ut ieiuna et languida explicatione animos nostros defatiget et imprimis narrationis progressionem moretur et retardet. In satira VI quidem inde a v. 261 mulierum Romanarum cupiditatem in arenam descendendi denotat. Extrema hac in descriptione poeta paucis lineis veram et vividam imaginem talis mulieris gladiatoriae adumbrat hisce versibus:

„Aspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
„Et quanto galeae curvetur pondere, quanta
„Poplitibus sedeat quam denso fascia libro,
„Et ride, positis scaphium quum sumitur armis."

Itemque Juvenalis in satirae I vv. 75 et 76 non satis habet hortos, praetoria, mensas enumerasse, poculum quamvis paucis verbis tamen tam egregie depingit, ut in manibus quasi teneatur. Postremo in disputationem vocandus est locus, qui exstat in satirae II v. 86 sqq. ubi „Orgia Bonae Deae", quae viri effeminati muliebrem in modum tum colere solebant, primum universe describi rectissimme Weidnerus*) ostendit. Tum a v. 93 poeta haec orgia accuratius explicare pergit. In vv. 91 et 92 Ribbeckius**)

*) comment in Juvenal. satiras.
**) l. c. pag 138.

non recte haerere videtur. Qui quidem illa verba „Talia secreta coluerunt Orgia taeda Cecropiam —“ quum accuratiorem desiderent descriptionem, unde pendeant, post v. 114 transponenda esse contendit. Concedo facile illis versibus deletis nihil desiderari. Assentior ei inde a v. 93 aliam quaestionis partem initium capere, quae quidem omnino non cum praecedentibus ne transitionis quidem particula coniuncta est. Attamen Ribbeckii sententia improbanda est; nam, ut Wirzius*) rectissime monet, transpositis illis versiculis 91 et 92 foedissime v. 114 a v. 115 dirumpitur, qui quam arte inter se cohaereant, Ribbeckius**) ipse intellegere videtur hunc in modum disserens: „Nun darf $\underline{\underline{e}}$ (i. e. vv. 115 sqq.) nicht zu weit von $\underline{\underline{d}}$ (i. e. vv. 110—114) getrennt werden wegen der Beziehung der Phrygischen Sitte auf den Dienst der Cybele.“ Quae cum ita sint, isti versiculi 91 et 92 suo loco retinendi sunt. Nam haud inepte versui 90 adnectuntur, quo quidem versu series praegressa sententiarum clauditur. Saepissime autem inveniuntur ea exempla, quibus Juvenalis sententiam universam latius explicare et exemplis illustrare studet, qua quidem ratione identidem ingrata verborum copia et illa repetitio quae vocatur sententiarum procreantur. Huc referendi sunt illi satirae VI vv. 349—51, quibus Juvenalis omnes ad unam coniuges et nobilissimas et vilissimas adulterii scelere maculatas esse queritur. Media enim in narratione insistens superiora colligit et insequentia praeparat poeta v. 349: „Iamque eadem summis pariter minimisque libido.“ Quo in versu quum quas mulieres illis verbis „summis“ et „minimis“ significare poeta voluerit facile intellegatur, nihil ad perficiendam sententiam requiri putamus. Nihilo secius studio rem quam accuratissime explicandi ductus poeta addit: „Nec melior, silicem pedibus quae conterit atrum, Quam quae longorum vehitur cervice Syrorum.“ Simili ratione in satirae XIII v. 135 generalis sententia haec: „Sed si cuncta vides simili fora plena

*) Philolog. XXXVII vol.

**) l. c. pag 138.

querella," exemplo de vita Romanorum media sumpto illustratur hunc in modum: „Si decies lectis diversa parte tabellis Vana supervacui dicunt chirographa ligni, Arguit ipsorum quos littera gemmaque princeps Sardonychum, loculis quae custoditur eburnis." Aliis locis a poeta exemplis prolatis universa sententia subiungitur ita, ut haud raro nihil aliud nisi conclusio ex illis facta videatur esse, quae nonnumquam valde languidam et illepidam speciem prae se fert neque omnino necessaria ad totius loci sententiam est. Itaque cavendum est, ne huiusmodi locos falce critica resecemus. Cuius generis ex satiris promam exempla haec: In satirae XIII v. 166 poeta superiora exempla complectitur sententia communi hac: „Nempe quod haec illis natura est omnibus una." Eandem verborum sententiarumque repetitionem vel uno vel duobus compluribusve deinceps enuntiatis expressam invenimus in satirae II v. 14: „rarus sermo — magna tacendi libido;" XII vv. 62/63 „tempora prospera — fatum valentius;" XIV. vv. 64—70 „stercore foeda — perfusa luto — labe vitioque" haec quidem verba sono non re inter se discrepare quis est qui neget? Itemque in satirae VI vv. 21—24 de adulterio his sui simillimis vocibus utitur: „lectum concutere — genium contemnere fulcri; antiquum et vetus — argentea saecula."

Ex hac Juvenalis consuetudine qua res uberius quam opus est explicat, haud dubie illae digressiones profectae sunt, quibus Juvenalis satirae valde abundant. Atque primum quidem eos locos oculis subicere statui, ubi poeta aut indignationibus aut adhortationibus praeter exspectationem et praeter necessitatem insertis longius deferri neque disputationis cursum tenere videtur. Ad hoc genus adumbrandum exordiamur a satirae V. vv. 107—113. Hoc loco poeta haud ita scite ferculorum enumerationem verbis indignationis subito interpositis dirumpit, quam ob rem Ribbeckius*) hosce versus ut spurios seclusit. Quod quo jure hoc fiat, ut diiudicari possit, prius videamus,

*) l. c. pag 105 sqq.

quorsum ecloga spectet. Rectissime Ribbeckius docet hoc maxime poetam egisse, quot quantisque contumeliis cliens ille vilissimus inter cenam a divite patrono affectus sit enarrare eo potissimum consilio, ut parasiti pudorem excitaret. Narrationis autem qua ratione Juvenalis utitur, fieri non poterat, quin legentes, etiamsi id poeta in animo non haberet, ad patronum contemnendum ultro adducerentur. An non laetitia quadam singulos orationis aculeos etiam in dominum conversos videmus? Ribbeckius quidem id quoque poetam spectasse negat, quippe quod a simplici eclogae tenore et concinnitate abhorreat. Quid vero quaeso sibi volunt isti versus 32 et 33 „Cardiaco numquam cyathum missurus amico; Cras bibet Albanis aliquid de montibus aut de Setinis —,“ quid vv. 132—145, nisi facete humilitatem et improbitatem divitis castigant? Eodem vv. 107—113 spectare neque alieni a poetae consilio esse videntur. Desideramus quidem hanc satirae partem artius cum antecedentibus versibus conecti. Requirimus etiam in digressionis fine particulam transitionis, qua poeta a diverticulo ad rectum narrationis tramitem descendat. Sed similiter res se habet in eiusdem satirae vv. 136 sqq. Hoc quoque loco poeta digressione v. 145 absoluta illuc unde abiit rediens nullo transitu parato cenam describere pergit. Enimvero indignatione imo ex animo vehementer effusa ars illa componendi sane exigua excusatur. Eiusmodi iracundi animi motibus quotiens Juvenalis totius disputationis tenorem parum scite dirumpere soleat, si quis attenderit velut in satirae II vv. 121 sqq., 126 sqq., IV, vv. 66—68, cavebit nimirum, ne haec, quae prorsus non ab Juvenale aliena sunt, ab eo abiudicet.

Sed iam convertamus animum ad eos locos, ubi poeta adhortationes versibus compluribus inclusas interponit nulla alia causa, ut mihi quidem videtur, nisi ut rapidum narrationis flumen paululum retardet. Cuius quidem generis multa ex satiris exempla promi possunt. Sed satis esse mihi videtur unum exemplum paulo diligentius explicare, quod legimus in satirae IX vv. 118—123. Hi

versus gravissime criticos vexaverunt, ac permulta in his tentata sunt, ut plane corruptus locus sanaretur. Optime eos a Vahleno emendatos et distinctos esse iam supra ostendimus. Poeta enim dicit: „Ob eam potissimum causam recte vivere debes, ut servorum linguas contemnere possis. Imprimis tibi cavendum est, ne linguas servorum nihili aestimes. Sed multo deteriore condicione is est, qui turpiter vivendo servis irrisioni et contemptui erit."*) Quid tandem est, quod hac in orationis conformatione offendat aut supervacaneum esse videatur? Equidem non modo omnino nihil abundare, sed etiam scitissime poetam orationis cursui valde incitato adhortatione interposita moderatum esse affirmo.**)

Atque hoc loco etiam de ea Juvenalis ubertate sermonis paucis nobis disputandum est, qua persaepe a re proposita deflectit, ut ad eam rem, de qua agitur, pauca adiciat. Haec uno fere versu inclusa per parenthesin quasi interponere solet, velut in satirae I vv. 48 et 61 voces illas „inanes" et „Automedon" enuntiato causali addito accuratius explicare studet. Ad eandem consuetudinem notionem aliquam certius definiendi revocari possunt hi loci: Sat. III v. 242. Illud enuntiatum „namque —" nulla alia causa adiectum esse videtur nisi ad explicandam vocem „dormiet" (v. 241). Nec aliter res se habet in satirae IV vv. 76 sqq., et X vv. 302 sqq., quibus locis poeta per interrogationem notiones „villicus" (v. 77) et „larga" (v. 302)., quasi excusare studet. Tum similia vide in satirae VII v. 217:

*) Sic Vahlenus (l. c. pag 27) rectissime, quid sibi velit illud „liber: non erit illis," circumscribere videtur neque nobis Schoenaichius (l. c. pag 21) probare potest, qui docet poetam dicere voluisse „dives patronus, ut taceant, servis maiorem cotidiani victus partem et plus aeris dat quam dare debet."

**) Ribbeckio (l. c. pag 112), qui nostros versus Juvenali adimit, hoc contradicendum est, quod omissis vv. 118—124 ea, quae sequuntur a v. 125, minime cum antecedentibus cohaerent.

„Quodcunque est (minus est autem quam rhetoris aera)" et in satirae XI vv. 168 sqq. Idemque mihi iudicandum est de satirae VI v. 460. Hic locus Paldamum*), Ribbeckium**), Madvigium***) vehementissime vexavit. Circumspiciamus igitur sententiarum tenorem, qui est in illis versibus. Inde a v. 457 enim poeta sibi proposuisse videtur, ut enarraret, quomodo dies a muliere divite distinguatur. Hoc enim poeta dicit: „Intolerabilis est dives femina, quod omnia medicamina vel etiam foedissima aspectu (i. e. turpe v. 457) in cute curanda et forma excolenda adhibere se posse putat. Interea (i. e. donec gemmas et elenchos collo circumdedit) talis domi in mariti conspectum venit, sed moecho semper ornata vult videri." Tum poeta describere pergit, quomodo dives mulier cutem curet. Sic sine ulla offensione oratio apte progreditur et rectissime Naegelsbachius§) Madvigio§§) adversatus est, qui vv. 461—63 et 464—66 inter se transponendos esse contendit. Etenim ne ita quidem neque „quomodo" (v. 464), neque „interea" (v. 460) quidquam habent, quo referri possint. Qui quidem versus (460) quomodo ad sententiarum cursum quadret, si quis perquisiverit, eum parenthesis loco abunde insertum omnino nihil ad sententias totius loci perficiendas conferre inveniet.

Quos locos ubi perlustravimus, tamquam commune omnium hoc animis nostris se offert, quod poeta notionem aliquam parenthesi interposita accuratius explicare vel certioribus finibus circumscribere studet.

Eademque ratione ductus poeta illas digressiones inseruisse mihi videtur, quae ad disputationis progressionem interdum non modo nihil conferunt, sed foedissime eius concinnitatem et aequabilitatem perturbare solent. Cuius quidem generis maxime memorabile exemplum

*) Zeitschrift für Altertumswissensch. 1838.
**) de satira VI. pag 159 sqq.
***) opp. II pag. 196.
§) Rhen. Mus III.
§§) opp II. pag. 196.

exstat in satirae I vv. 95 sqq., de quo iam supra copiosius disputavimus. Aliae eiusmodi digressiones praeter necessitatem additae in omnibus fere satiris deprehenduntur. In satira II quidem inde a v. 93 accuratissime singuli feminarum apparatus describuntur, quibus ad orgia Bonae Deae rite colenda opus erat. Tum de Othonis effeminata mollitie poeta nonnulla addit. Hac digressione absoluta poeta singulas Orgiorum res enarrare pergit. Hoc enim modo mentem poetae interpretari licet: „Viri isti effeminati muliebrem habitum et speciem affectare non verentur. Itaque hic (i. e. ubi eiusmodi res, quas supra narravi, geruntur) nullus verborum pudor inveniri potest, sed Cybeles libertas regnat.“ Itaque digressione e verborum ordine exempta non modo nihil desideratur, sed sic demum orationis concinnitas plane restituitur. Etenim illa de Othonis mollitie narratio cum proxime insequentibus adeo non copulata est, ut inter vv. 109 et 110 oratio valde curta sit et claudicet.

Vide similia in satirae VIII vv. 211 sqq., quibus illa de Neronis immanitate digressio parum scite inseritur. Versu 231 poeta ad rem, quam instituit, redire studet, sed etiam hoc loco requirimus vinculum quoddam, quo digressio cum subsequentibus conectatur. — Pluribus igitur locis tanta neglegentia digressiones tamquam pannos poeta inculcat, ut videatur oblitus esse rimas inde ortas explere. Nimirum facile concedo nonnullis locis poetam studuisse digressiones cum summa quaestionis conglutinare ut in satirae IV v. 55, X v. 54 particula, „ergo“, XII, 111 particula „igitur“ addita. In satirae X v. 185 poeta ad orationem digressione interruptam redit repetita interrogatione versus 179: „qualis redit?“ — Attamen hi quoque loci usque eo non limati neque prorsus elaborati esse videntur, ut facile singularum partium commissurae perspici possint.

His quoniam ad finem perducta est haec disputationis pars, restat, ut qua ratione singula quaestionis argumenta in satiris inter se conexa sint paucis ostendamus. Atque

primum hoc animadvertendum est poetam saepenumero, si ab una disputationis parte ad alteram transit, simplices ac solutae potius quam poeticae orationi convenientes formas usurpare. Intueamur hosce locos: sat. IV, 11 „sed nunc de,“ VI, 59 „quod cum ita sit,“ VIII, 98 et XI, 9 „porro“, XI, 70 et XVI, 51 „praeterea,“ aliaque similia. Has quidem particulas rhetoricas, imprimis vero eas formulas, quibus ad maiores minoresque locos transitus fiunt, Bergmuellerus (Quaest. Juvenal. Erlangen 1886 pag 413 sqq.) tam copiose congessit, ut addi nihil possit supra.

Quae Juvenalis consuetudo quamvis ab illo viro doctissimo satis diligenter explicata et uberius illustrata sit, tamen quaestionem nondum ad hunc finem perductam esse censemus, ut, qui denuo eam movere novaque luce aspergere conetur, in re manifesta operam perdere videatur.

Atque illam poetae consuetudinem transeundi valde miramur nonnullis criticis tam gravi offensioni fuisse, ut huiusmodi locis genuinam transitus formulam excidisse censerent. Weidnerus*) quidem in satirae XVI post versum 34 orationem mancam statuendam esse sibi persuasit. Ad stabiliendam suam sententiam sane miras causas affert has: „Die Verbindung mit dem vorausgehenden Teil ist verloren gegangen. Vielleicht ist der Übergang ein späterer Zusatz, verfertigt mit Rücksicht auf Vers 7.“ Sed si quis v. 35 posterius additamentum esse putat, is idem de versu 7 iudicare debet. Neque vero hoc loco quidquam offensionis restabit, dum modo recte sententiarum nexum evolvamus. Videtur enim ecloga, ut iam supra demonstravimus, duas partes habuisse, quarum priore etiam nunc servata praemia omnium militum communia pertractantur. Hanc satirae partem poeta iterum sic distinguit, ut primum praemia a militibus vi ac superbia arrogata, tum legitime eis a magistratibus proposita enumeret. Quae cum ita sint, versus 35 accuratissime ad

*) edit. Sat. Juv. pag. 308.

sententiarum cursum quadrare videtur. Idcirco etiam hoc loco poeta per formulam usu scholastico consuetam ac paene tritam ad aliam disputationis partem transit.

Ac licet nobis etiam longius hac in via progredientibus eos quoque locos conferre, ubi Juvenalis formula conclusionis adhibita transitum efficit. Solet enim poeta mediam inter narrationem sententiam universam interponere, qua commodius graviora ex eodem genere affere vel opponere possit. Haec quidem sententia in confinio binarum quaestionis partium collocata et superiora colligit et insequentia praeparat. Id componendi genus Vahlenus (ind. lect. aest. Univ. Berolin. 1884) luculenter docteque explicavit et exemplis collectis illustravit eo consilio, ut satirae VII v. 138 multis criticis suspectum et e textu remotum suo loco restitueret. Hoc enim loco eandem sententiam his verbis „et tamen — utile“ et „Convenit illis“ repetitam invenimus, quo melius sententia priori opposita („sed finem“ v. 138) adnectatur. Eis exemplis, quae Vahlenus ad hunc locum conservandum attulit, facile multa alia addi possunt. In satirae VI v. 224 summam eorum, quae inde a. v. 207 de mulieris cupiditate imperandi narravit, una hac sententia „imperat ergo viro“ colligit nulla alia causa nisi ut contraria illa „sed mox haec regna relinquit“ commodius opponantur. Similiterque oratio in satirae VIII vv. 73 sqq. conformata est: „Rarus enim ferme sensus communis in illa Fortuna; sed te censeri laude tuorum —.“ Idem iudicium ferendum est de satirae IX vv. 45 sqq.: „Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum quam dominum. Sed tu sane tenerum —.“ Ribbeckius vv. 48 et 49 ut alienos a tenore totius loci eiciendos esse putat. Sed poeta quid his versibus voluerit, facile, qui totam sententiarum seriem accuratius examinaverit, intelleget. In hanc enim sententiam loquitur poeta: „Infructuosum opus faciunt ei, quid dominum et dominam inclinant; sed tu nimirum — hoc Naevolus secum ipse colloquitur — te pulchrum esse opinaris. Vos autem humiliores estis quam ut cultori indulgeatis (h. e. is, qui

dominum et dominam colit) et vestro morbo, quem me putatis, quidquam donetis." Sic dum modo recte illud „cultor" ed „morbus" quid sibi velint, interpretremur, omnes difficultates tolluntur. Etenim hoc quoque loco versu 45 oratio in universam sententiam evadere videtur, cui contraria illa, quae vv. 47 sqq. continetur, sententia commodius opponatur. Sed eiectis vv. 48 et 49 illa oppositio, quae haud dubie existit inter „tu" et „vos" prorsus exstinguitur. Proinde Ribbeckius iniuria illos versus eiecisse mihi videtur. Ac vide compar exemplum in satirae X v. 103. Illam summam sententiam „Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris Seianum —," quam poeta inde ab initio satirae sibi comprobandam proposuit, hoc loco nulla alia causa referre videtur, nisi ut melius alia exempla addere possit.

Ad extremam quaestionem nostram aliud quiddam breviter perstringere volumus, quod ad hanc consuetudinem cognoscendam aliquid valere putamus. Saepe enim Juvenalis hunc in modum argumentari solet, ut in extrema disputatione ad idem unde orsus est, per pravum circuitum quem vocaverim sententiarum redeat. Huius dicendi circuitus exemplum indagavimus in satirae I vv. 77 et 78. Teuffelius*) quidem in vv. 73—76 et 77—78 vestigia quaedam duplicis satirarum recensionis exstare arbitratur. Iam Schoenaichius**) hanc sententiam certis ut opinor argumentis refutavit. Attamen denuo hunc locum in disputationem vocamus, quod illius viri docti sententiae prorsus assentiri nequeo. Atque primum nobis valde mirum videtur, quod Teuffelius alterutra lectione servata tamen singulos versus usque eo non in sententiarum tenorem quadrare iudicat, ut nec priore versuum serie tota disputatio apte clauditur, nec altera ad praecedentia scite adnectatur. Circumspiciamus nunc paulisper satirae dis-

*) Rhen. Mus. XX pag. 158.

**) l. c. pag. 14.

positionem. Juvenalis in priore satirae parte (vv. 21—48), quibus potissimum causis ad satirás scribendas impulsus sit, ostendit. Haec satirae pars facile in quinque particulas sine ulla arte inter se conexas distribui potest, quibus vitia sceleraque, quae tum pervulgata erant, castigantur. Tum inde a v. 63 per graviorem transitus formulam nova series similium scelerum conectitur. Versus 73 - 76 autem more rhetorico interiecti orationis concinnitatem valde perturbare videntur neque, ut Schoenaichius arbitratur, rem generali sententia ad finem perducunt. Denique vv. 77—78 per interrogationis formam ad intermissam vitiorum descriptionem poeta revertitur: „Quem patitur dormire nurus corruptor avarae Quem sponsae turpes et praetextatus adulter.“*) Credo diligenter attenteque legentes hoc loco post illam digressionem a poeta universam aliquam sententiam exspectaturos esse, qua melius ad summam quaestionis revocentur. Praeter exspectationem et necessitatem poeta duo exempla ineptissime inculcat, quibus orationis perspicuitati haud ita valde consulit. Teuffelius igitur v. 76 sententiarum seriem *finiri* recte iudicat, neque vero eundem virum effugit, quod illo versu tota narratio prorsus non potest concludi. Sed nostro quidem iudicio vv. 73—76 omnino non ad finiendum positi plane perfecta et absoluta digressio videntur esse. Exempla denique vv. 77 et 78 pro generali sententia interiecta minus offensioni essent, si ad maiora ascenderent et gradationem efficerent. Quae cum ita sunt, nostro loco non duplex recensio**) sed ille iniucundus sententiarum circuitus statuendus nobis est, quo quidem more poeta ad idem, unde argumentari orsus est, reversus orationem digressione interruptam adnectere studet.

Vide alia similiter conformata in satirae VI vv. 588 sqq. Schoenaichius***) rectissime Teuffelio, qui trans-

*) Rectissime hos versus Madvigius (opp. I pag. 40) interpretatus est.

**) Mosengelus (diss. Erlang. 1887) quod recte Teuffelius ipse poetae proprium esse profitetur, id ad illam sententiam viri doctissimi refutandam adhibet.

***) l. c. pag. 18.

positionibus hunc locum sanare conatur, id obiciendum esse putat, quod vv. 589—591 post v. 581 positi prorsus non ad tenorem sententiarum quadrant. Huc accedit, quod, ut mihi quidem videtur, illis versibus suo loco remotis illud „hae“ v. 592 nihil habet, quo referri possit. Quod vero idem Schoenaichius docet in priore parte summam vim sententiae positam esse in verbo „mediocris“, in posteriore pondus addi, quo loco pauperes feminae consulant, mihi quidem hoc modo sententiarum nexum nimis contorte et aculeate explicare videtur. Nec magis mihi persuasit duplicem circi mentionem gradatione per oppositionem facta excusari posse. Nam hoc loco poeta suo more illos vv. 585-87, quibus divites pauperibus opponuntur, praeter necessitatem interiecit. Tum per sententiarum circuitum inde a v. 588 unde deflexit, eodem reversus de pauperibus agere pergit. Sententiam huius loci si recte perspeximus, hanc fere esse arbitramur: „Mulier pauper (i. e. mediocris) quum astrologiae imperita sit, in circo sortes ducere cogitur. Neque vero divitibus mulieribus hoc facere opus est.“ Tum pergit poeta ad institutam rem rediens: „In circo, inquam, plebeia mulier vates consulit.“ —

Insigne vero exemplum circuitus quem vocamus sententiarum exstat in satirae VIII v. 37. Ut multis aliis locis ita hoc loco poeta particula „ergo“ addita*) unde orsus est eodem revertitur hunc in modum: „Nemo generosus nominari potest, qui genere suo indigne se gerit et praeclaro tantum nomine insignis est. Eodem iure nano cuidam nomen Atlantis, scabioso cani nomen leonis dare solemus. Ergo id tibi agendum est, ut res tuo nomine dignas geris.“ Ne longus sim, plura exempla proferre nolo, cum genus ipsum eis, quae attuli, satis adumbrasse videar. Apparet autem hic quoque idem scriptoris mos, quo orationem digressione interruptam ita pertexit, ut per circuitus formulam eo unde declinavit redeat.

---

*) Cuius particulae usum Bergmuellerus (l. c.) satis diligenter explicavit et uberius illustravit.

Haec fere sunt, quae de Juvenalis arte compositionis monenda habui. Ut iam breviter complectar, quae disputatione adhuc illustrasse nobis videmur, summa haec erit:

Juvenalis quum multa suum ingenium et disciplinam rhetoricam secutus novis et insolitis modis componeret compluribus locis cum perspicuitati tum elegantiae orationis magnum detrimentum attulit, neque licere nobis videtur, sicubi sententias minus necessarias aut supervacaneas apud eum deprehendimus, has ut orationis concinnitati repugnantes e textu eicere. Nam multae difficultates, quibus viri docti offensi sunt, recta interpretatione e medio tolli possunt, neque Ribbeckii violentissima ratione critica neque Teuffelii duplicis recensionis ratione ad eas removendas opus esse nobis quidem videtur.

# Vita.

Hugo Carolus Ludovicus Sydow natus sum in oppido Borusso Dt. Crone die XXVII m. Aug. a. h. s LIX patre Guilelmo matre Johanna e gente Perdelwitz quos adhuc vivere magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Postquam in oppido Pomerano Demmin pueritiae disciplinis imbutus inde ab anno 1868 ibi gymnasium per decem annos frequentavi, exeunte anno 1878 inter cives Universitatis Berolinensis receptus sum atque per octies sex menses Berolini scholis philologicis interfui virorum clarissimorum Vahleni, Kirchhoffii, Robertii, Huebneri, Schmidtii, Curtii. Quibus omnibus viris doctissimis pio semper animo debitam gratiam habebo.

Anno 1884 pro facultate docendi examinato haud ita multo post militiae munus subeundum erat. Autumno anni 1886 iussus sum a collegio scholis publicis provinciae Marchiae praeposito in gymnasio Charlottenburgiensi probandi causa docere ibique inde ab anno 1887 praeceptoris munere fungor.